S. pl. Quod ad superiores tuas; Reverende et Doctissime Vir, Frater in Christo plurimùm colende; nullum obtinueris responsum, mirari, quæso, noli. Magni momenti res est. Τὰς γὰρ συμφορὰς τὰς ἐκ τῆς ἀβλεψίας συμβάσας, ἐπέχειν constitueram. Factum Anhornianum propterea supprimendum, et suffocandum semper putavi, et etiamnum puto, ne ob eum in Ecclesia Christi turbæ excitarentur. Tu verò nomine tuo; Reverendi Ministerii Vestri ejus communicationem urges, et vehementer urges. Hoc verò ipsum me adhuc magis solicitum reddit, et monet, ne quid temere agam: ne ignem contentionum sub cineribus nunc quidem latentem, facili quadam συγκαταβάσει, veluti flabello, suscitem. In utramque igitur partem quoties rem considero, quodnam ἀσφαλέστερον sit, vix apud me statuere possum. Ex altera parte Ven. Ministerium Vestrum mihi occurrit. Cui me omnia mea debere, lubens agnosco: Ejus famam et existimationem, gravis oblata occasione, à viperinis sycophantarum morsibus vindicandam esse, prorsus existimo. Ex altera autem parte incommodorum seges obversatur uberrima. Nam, ut de me quidem nihil dicam, annon Vos ipsi, viso hoc scripto, in urbe vestra in partes scinderemini? Vos Vestros haberetis defensores: autor suis quoque non careret patronis. Ex præteritis de futuris conjecturam facere licet. Annon ergo imprudens meritò diceretur, qui Cives, temerario et inconsiderato quodam æstu alterutri parti gratificandi abreptus, inter se committeret, et Ecclesiasticam simul atque politicam pacem, quâ nobis nihil antiquius esse debet, turbaret? Tu quidem nihil periculi subesse putas. At in tuam ego sententiam hactenus discedere non possum. In propriis caussis non semper ὀξυδερκοῦμεν. Ignosce, si liberè scribo, quod sento. Quid igitur? Paucissimis mentem meam aperio. Nunquam ἔκτρωμα illud lucem aspiciet: nunquam ad infelicissimam redibit matrem: sed, vel æternis sepultum jacebit tenebris, vel, quod longè tutissimum, igni abolebitur. Quòdsi ne in hoc quidem acquiescere velitis vindicta, id unum restare videtur, ut datis ad me literis moneatis, ut de hoc ~~re~~ re cum Venerando Antistite nostro, nomine Vestro, agam, ejusque consensum obtinere studeam. Quidquid ipse jusserit, animo faciam promtissimo. Facilis, ut spero, erit, ad concedendum Vobis abortum istum. Homini minimè favet, ejusque audacem detestatur temeritatem.
Cl. D. Hottingerus dimissionem à Serenissimo obtinuit. Reducem ante hyemem videbimus. Extraordinarii Synedrii Ecclesiastici Assessoris dignitas ei assignata. Cl. Buxtorfius convaluit. D. Schoenauerus ad Professionem Theologicam in Academia Lausannensi vocatus, Theologiæ Doctoris titulum assumit. Cl. D. Wetstenium in feriis autumnalibus hîc visuri sumus: siquidem ad Vos excurrat, me comitem, τοῦ θεοῦ, habebit. Atque hæc ad binas tuas. Venerandum Ministerium Vestrum meo nomine officiosissimè salutabis, Eidemque omnia studia mea prolixè offeres. Vale felicissimè. Tiguri, 21 Sept. 1661.

R. D. T.

addictissimus

Joh. Casparus Suicerus.

Reverendo, Clarissimo, Doctissimoque Viro Dn. Sebastiano Steggero, Verbi divini Ministro et Gymnasii Sangallensis Rectori meritissimo, Domino et in Christo Fratri honorandissimo.

Franco.

Sangalli.

135

S. pl. Eo ipso momento; Clarissime, et Doctissime Vir, Frater in Christo plurimum colende, amande; quo Joh. Henricus Wetsteinius tuas mihi nuper obtulit, ad iter in Toggium eram accinctus: unde hesterno die reduxs, nunc demum ad eas, paucis tamen, respondeo. Nondum certum est, quid C. D. D. Wetsteinius de Filio suo fieri velit. Eum ad se videtur revocaturus. Mutabit forte sententiam, siquidem filii desideriis satisfacere cogitet. De Logica, in usum scholæ nostræ imprimenda, et nos valde soliciti sumus. Rem hactenus ursi, nec urgere desinam. Caussam Ankornianam needum decisam esse, non miror. Varia vertipellis æquivocatione quæret. Vix tamen elabi poterit. Multo jam majora nobis negotia facessit Zinggius. In scriptis ejus sentinam variarum reperimus hæresium. Illam ipsam, quam apud vos fovit, et moritus ejuravit, in Concionibus non semel revocavit, defendit, et Auditoribus inculcavit. Atque hæc caussa est, cur Amplissimus Magistratus noster, hoc ipso die, per literas ab Amplissimis Proceribus vestris illius Disputationis Acta petat. Venerandum Collegium nostrum eorundem communicationem urgere jussit. Te itaque etiam atque etiam rogo, ut cum Venerandi Dⁿⁱ Collegii eo Magistratus vestri animos inclinare studeas, quo voti nostri reddamur participes. Considerate, communem Ecclesiæ Christi salutem agi. Eo vos etiam impellat nostrum in caussa Ankorniana vobis gratificandi studium. Dictionarium Frisii, cum reliquis, quos petiisti, libris, proxime, per [illegible] Negotia plura non permittunt. Vale, Vir Clarissime, totique Venerando Collegio vestro plurimam ex me salutem. Deproperabam Tiguri, 12. Octob. 1661.

T. Nominis Tui

studiosissimus

Joh. Casparus Suicerus.

Doctissimo D.N. Finsterling hæc tradantur.

Reverendo, Clarissimo, Doctissimoque Viro, D. Sebastiano Hoeggero, Verbi divini Ministro vigilantissimo, et Gymnasii Sangallensis Rectori celeberrimo, Domino, et in Christo Fratri plurimum colendo, amando.

Franco.

Sangalli.